



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno 859. Usque Ad Annum 887

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1760**

**VD18 90117875**

§. 5. Concilium Romanum.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66112](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66112)

Hæc Epistola sexta Maji anno octin- Sæculum IX  
 gentesimo septuagesimo nono data. Pau- A. C. 879.  
 cos ante dies Papa, cum tres Monachos  
 a Theodosio Patriarcha Jerosolymitano  
 ad se delegatos dimitteret, in Epistola i-  
 p̄s̄is commissa, excusabat, quod longo  
 tempore eos detinisset, cum se in Fran-  
 cia commorante venissent. Quia vero ep. 170.  
 eleemosynam modicam illo mittebat, ra-  
 tionem reddit, quod Romani a Paganis  
 gravissime premerentur.

§. V.

*Concilium Romanum.*

Prius autem, nempe quinta Martii an- ep. 153.  
 no octingentesimo septuagesimo no-  
 no, Pontifex Romanum Neo-Archiepiscopum  
 Ravennatem cum omnibus suis  
 Suffraganeis ad Concilium Romæ vige-  
 sima quarta Aprilis celebrandum voca-  
 verat, quo servarentur Canones, inque-  
 bat, præcipientes, bis in anno Synodos  
 convocari. Distulit deinde istud Con- Ep. 155.  
 cilium ad diem primam Maji, jubens, ut  
 etiam Anspertus Archiepiscopus Medio-  
 lanensis cum omnibus suis Suffraganeis  
 veniret, & indicans, in illo Conventu  
 præter causas Ecclesiasticas etiam de ele-  
 ctione Imperatoris agendum esse, cum  
 Carlomannus, Rex Baviaræ, aliunde qui-  
 dem, nempe jure sanguinis, aptus Impe-  
 rio, bella pro Ecclesiæ libertate movere

*Hist. Ecclesiast. Tom. XII. T t va-*

Sæculum IX. valetudine impediretur. Tum Papa  
A. C. 879. Ansperto exprobrat, quod ad Concilium,  
 etsi ter vocatus, venire neglexisset.

Nempe, ad Concilium anno superio-  
 re Ticini indictum. Sed nec ad Con-  
 cilium Romanum Anspertus venit, uti in-  
 dictum fuerat, prima Maji anno octin-  
 gesimo septuagesimo nono celebra-  
 tum. Quare Papa eum data Epistola a-  
 criter increpat, quod non misisset saltem  
 Legatum cum literis, qui absentiae cau-  
 sam attulisset. Igitur significat, quod in  
 hoc posteriore Concilio ipsum Commu-  
 nione Ecclesiastica privaverit, & distri-  
 cte præcipit, ut ad Concilium duodeci-  
 ma Octobris eodem anno Romæ cele-  
 brandum certo certius veniret.

## §. VI.

*Pontificis Literæ ad Sclavos.*

*Cang. famil.* Inter hæc Summo Pontifici redditæ sunt  
 p. 278. Epistolæ cujusdam Principis Sclavi,  
 nomine *Branimir* vel *Barnimer*, quem  
 eundem ac *Predemirum* Servia ac Dalma-  
 tia Principem fuisse credunt. Is prohi-  
 tebatur, velle se cum omnibus sibi sub-  
 ditis sub obedientiam Sacrae Sedis redire,  
 a qua ipsos a Græcis abstractos fuisse  
 conjicere licet. Hos Papa paterno affe-  
 ctu amplexus est; quod ex ipsius literis  
 tum ad hunc Principem & ad Episcopos  
 illius Regionis, tum ad populum ipsi sub-  
 jectum

\*p. 184. 185.